



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmae Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...

Guilelmus <Peraldus>

Lvgdvni, 1585

Lectori S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46161)

LECTORI S.

NE aliquot pagella vacarent, Lector bene-
uole, ea quæ sequuntur tibi exhibere volui-
mus, tum quòd eiusdem planè argumenti
cum postremo capite. De vitio linguæ, vi-
derentur, tum quòd tibi summopere profu-
tura fore prospeximus.

Non loquaris contra proximum tuum falsum
testimonium. Exodi xx.

HOc precepto nominatim vetatur omne menda-
cium perniciosum, siue dum vocaris ad testi-
monium ferendum, siue extra iudicium in vulgari
& communi locutione. Implecitè etiam omnia pe-
cata ad locutionem pertinentia, quibus saltem infer-
tur nocumentum proximo: ut sunt detractiones, ca-
lumnie, irrisiones, & huiusmodi. Proximus autem
est omni homini omnis homo: nihilque est tam pro-
ximum, quàm homo & homo. Attendamus enim
Adam & Heuam, iam omnes fratres sumus. Quòd
si fratres sumus, secùdum quòd homines sumus, quã-
to magis secundum quòd Christiani sumus, quibus
vnus est pater Iesus Christus, & vna mater sancta
Ecclesia?

Contra hoc præceptum sic
peccatur.

*Accuso falsè, derideo, detraho, diras
Imprecor, & mecum male iudico, concito rixas
Assentor, simulo, mea sunt mendacia, damno,*

Peccant contra hoc præ-
ceptum.

*Qui mala voluntate, aut sine sufficiētis cause appa-
rentia, alteri falsum crimen intendunt. In quo
peccato peccari potest ex parte iudicis, ex parte
accusatoris, ex parte rei, ex parte causidici, ex par-
te cognitoris ipsius cause,*

*Qui etiā veri criminis (occulti tamen) sine sufficien-
ti necessitate & causa rationabili alierū palam ac-
cusant aut reuelāt, nō seruato ordine diuini iuris.*

*Qui alterius bona opera & benefiēta, conātur osten-
dere mala, aut fite facta, ut eum hypocritā osten-
dant, aut aliorum ipsi concilient inuidiam.*

*Qui in iudicio ad interrogata cum dolo malo res-
pondent.*

*Qui rei cum sint fateri verum nolūt in casu, in quo
tenentur veritatem fateri.*

*Qui verbis, aut cachinnis, aut naso corrugato alios
irrident, aut gestus & corporis habitus figmenta
illudunt: quod peccatū tanto est grauius, quanti
maius*

maior debetur reuerentia iis qui irridentur.

Qui beneficium quod in alterum contulerunt tempore indigentiae, eidem coram multis exprobrant, in dispendium honoris eius.

Qui animo inferendi iniuriam, aliquid criminofum aut animae corporisue vitium, exprobrant.

Qui etiam sine animo inferendi iniuriam, ea dicunt si proximo ea iniuria damno est.

Qui absentis famam denigrant, voluntate famam ledendi: siue fiat dicendo verum siue falsum siue asserendo, siue referendo siue addendo siue minuendo, siue interpretando, siue alio quouis modo: & tales tenentur ad restitutionem famae si illa detractio importat infamiam. Auferunt enim hominibus famam, quod melius bonum est quam diuitiae multae. Vnde Hieronymus contra detractores: Si vis me corrigere delinquentem, aperte increpa: tantum ne occulte mordeas. Quid enim mihi prodest, si aliis mala mea referas: si me nesciente peccatis meis imò detractioibus tuis alium vulneres, & certatim omnibus narres: si singulis loquaris, quasi nulli alteri dixeris? Hoc enim non est emendare me sed vitio tuo satisfacere.

Qui ex loquacitate, & non animo alterius famam ledendi, aliena peccata commemorant, non tam grauiter peccant.

Qui ex voluptate, quam in audienda proximi in-

fama percipiunt, delatoribus aures arrigunt. Bernardus: Porro detrahere an detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. Hieronymus: Si hilari vultu audias detrahentem tu illi das fomitem detrahendi: si verò tristi vultu hac audias, discit non libenter dicere, quod illi dixerit non libenter audiri.

Qui non defendunt famam proximi iniuste diffamati, quando & possunt & debent, & propterea lesa est proximi fama. Homini enim Christiano parum esse debet amicitias aliorum non excutari vel augere male loquendo, nisi etiam eas excutere studeat bene loquendo.

Qui sibi ipsis detrahunt, & seipsum diffamant.

Qui aut sibi aut aliis diras imprecantur.

Qui aliis damnum animæ, corporis, fame aut bonorum precantur. Hac enim charitati proximi contraria sunt.

Qui aut sue, aut alterius natiuitatis diem maledicunt, detestando hominem natum, volentemque aut male natum, aut non natum.

Qui verba turpia, ut nomen cacodæmonis, aut similia identidem in ore habent ex consuetudine.

Qui creaturis irrationalibus maledicunt, quæ alterius res sunt: ut qui agro alicuius sterilitati imprecantur, aut mortem eius pecudibus.

F I N I S.

Liber Societatis Jesu Paderbornæ
F 1587.